

tam mortuis quam viventibus, plorantes solando, infirmos visitando, « in dilectione firmaberis : » hæc enim sunt officia et actus dilectionis; actus autem firmant et intendunt habitum. Non facile, ait Palacius, a dæmone vincetur, qui infirmos visitare contendit; infirmi infirmitas firmat infirmitatem charitatem. Rursum ex his operibus in Dei dilectione firmaberis, quia firmiter te diligit Deus, ac ideo non patietur te in peccata prolabi.

Ratio a priori est, quod visitare infirmos ex charitate sit actus charitatis : actus autem augent et firmant habitum : si quis visitet ægrum non proprie ex motivo charitatis, sed misericordiæ, vel alterius virtutis, etiam sic firmatur charitas. Nam virtutes omnes inter se connexæ, et earum vinculum est charitas : quocirca charitas per actus aliarum virtutum, præsertim misericordiæ et pietatis, nutritur, augetur et roboratur. Videtur, ait Dionysius, interpres in Græco legisse ἀγαπήσεις, active, id est amabis, diliges ; hoc est, in amore et dilectione cresces et firmaberis : significatur enim actus continuatus, non inchoatus. Jam leunt passive, ἀγαπηθήσῃ, id est diligeris : cui quocumque adaptari potest nostra versio Latina, « in dilectione firmaberis, » si dilectionem non activam, sed passivam accipias, q. d. Per hæc augebis tui amorem, facies ut magis diligaris a Deo et hominibus, ac vicissim eos magis active diliges, tum quia amor provocat amorem, magnes enim amoris est amor; tum quia Deus illis, quos magis diligit, majorem gratiam et amorem infundit, quo vicissim eum magis amant et diligunt. Amor enim Dei est efficax, paritque sui amorem reciprocum. Summa, plenus erit sensus omnes versiones concilians, si dilectionem activam, æque ac passivam intelligas, q. d. Per hæc officia pietatis cresces in dilectione, ideoque vicissim magis diligaris a Deo et hominibus. Ita Dionysius.

Verum mihi valde fit verisimile, Siracidem seniore qui hebraice hunc librum scripsit, scripsisse hoc loco תאהב taohab, quod est futurum conjugationis hophal, id est, in dilectione ponere et firmaberis. Hophal enim habet significationem passivam duplicem : respondet enim conjugationi hiphil, quæ est duplex activa. Igitur אהב ahab, sicut in hiphil significat, fecit amare, sic in hophal significat, factus est amare, vel firmatus est in amore. Unde taohab, quod est futurum hophal, significat firmaberis in dilectione. Hinc fit verisimile, nos etiam versionem Latinam tractam esse immediate ex Hebræo. Id ipsum in Græco voluit imitari Siracides junior : itaque per τὸ ἀγαπηθήσῃ voluit significare non simplex passivum, scilicet, diligeris; sed duplex, scilicet, incitaberis ad dilectionem, in eaque firmaberis : sic enim vertit Latinus, et hoc significat Hebræum taohab. Igitur ἀγαπηθήσῃ, idem est quod ἐν ἀγάπῃ τεθήσῃ, id est, in amore collocaberis : et forte ita veritatem Siracides, vel ἐν ἀγάπῃ ἐνηργεθήσῃ, id est, in amore firmaberis. Sic exponit S. Augustinus il-

lud Genes. xxii, 12 : « Nunc cognovi, quod times Deum. » Cognovi, id est, cognoscere te feci : Deus enim id ipsum ante cognoscebat. Et illud Roman. viii, 26 : « Spiritus postulat pro nobis re-mittibus inenarrabilibus. » Postulat, id est, postulare nos facit. Nec enim Spiritus Sanctus gemere potest.

Moraliter, disce hic quam utile et sanctum sit visitare infirmos. Quod enim infirmis fit, Christ sibi factum æstimat. Unde in die iudicii electis dicit : « Infirmus eram, et visitastis me, » Matth. cap. xxv, 36. Qui ergo infirmum visitat, Christum visitat. Quocirca S. Bonaventura in Stimulo divini amoris, cap. 1 : « Cur, inquit, anima, tota die anxians post Christum? Indicabo tibi quem diligit anima tua. Certe in infirmitate jacet, et ibi angustatur, ibi torquetur. Curre, et sibi ministra, sibi compater infirmanti. » Hæc ipse simpliciter, sed incenso stylo. S. Gregorius Nazianzenus, orat. 27 De Cura pauperum : « Pauperi, inquit, subveni, vestem præbe, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate percontare, de patientia orationem habe (hæc enim, adeoque omnem opem, quæ re verbove fit, includit τὸ visitare ægrotum). Bono esto animo, accede. Haud quaquam ex ea re labefactaberis; haud quaquam vitium contrahas, etiamsi homines nimium molles et delicati hoc existiment, inanibus rationibus decepti, vel potius hoc sive mollietati suæ atque inertiae, sive impietati prætexant. » Idem Nazianzenus, orat. 20, mire celebrat S. Basilium, quod Cæsareæ nosodochium ædificavit, ægros omni ope adjuverit, quin et eorum vulnera osculatus sit, in iis contemplans Christum : « Quocirca, inquit, ne labra quidem vir generosus, et generosis parentibus ortus, nominisque splendore clarissimus, ægrotis admovere gravabatur. » Plura hujus rei heroica heroum exempla, uti S. Galliani, Placillæ Imperatricis, Radegundis, Eustachii, S. Mariæ Oigniacensis, etc., exempla recensui Isaiæ xxxviii, in calce capituli, et Jacobi i, 27.

Quomodo consolandi et admonendi sint ægri, vide apud S. Gregorium III parte Pastor., Admon. 13. Idem S. Gregorius, lib. XX Moral. xxvi, subtiliter docet quomodo visitans ægros in dilectione firmetur : quia, scilicet, ex dilectione ægri dolores per compassionem in se transcribit, qui est insignis dilectionis actus. « Ille, inquit, perfecte tribuit, qui cum eo, quod afflicte porrigit, afflicti quoque in se animum sumit; ut prius in se dolentis passionem tranferat, et tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. » Illustrat id exemplo Christi : « Qui cum posset nobis etiam non moriendo succurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit, quia, videlicet, minus amaret, nisi et vulnera nostra susceperet; nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc, quod a nobis tolleretur, ad tempus ipse sustineret. » Idem, homil. 39 in Evangel., illustre recenset exemplum. Martyrius monachus, inquit,

leprosum in via repertum, in humeros sustulit. « Statim vero ut ad monasterii aditum pervenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo ejus exsiliens, et in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet Christus Jesus, ad cælum Martyrio aspiciens rediit, eique ascendens dixit : Martyri, tu me non erubuisi super terram, ego te non erubescam super cælum. » Leo IX Pontifex leprosum ante fores repertum in proprio lecto collocari jussit, qui mane quesitus nusquam inventus est. Creditum est Christum pauperis specie eo loci recubuisse. Ita Platina, et alii in Vita Leonis IX.

40. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS MEMORARE NOVISSIMA TUA, ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS. — « Ultimo ponit, ait Irenæus, directivum totius vitæ humanæ, sicut nauta sedet in ultima parte navis, ut dirigat eam, » ut, scilicet, acrem det stimulum ad studia charitatis et virtutum, ac adimplenda Dei præcepta, quæ multa hoc capite assignavit, et plura deinceps assignabit, ne quod eorum tedium surrepat. Hæc ratio est a priori. Finis enim, qui in novissimis includitur, est principium agibilium, ut docent Philosophi : omnia enim agunt propter finem; ac præsertim in Ethica finis hominis, qui est beatitudo, eum movet et impellit ad fugam peccati et amplexum virtutis, quasi ad media quibus beatitudo obtinetur. Græca quædam legunt, ἐν παντὶ τοῖς λόγοις, id est, in omnibus sermonibus vel verbis. Alia tamen legunt, ἐργοῖς, id est operibus. Ita legit Noster, idque melius et plenius : non enim in solis verbis, sed in omnibus actibus oportet meminisse novissimorum. Adde, Hebr. דבַר dabar, id est verbum, sæpe pro facto sumi. Syrus : In omnibus operibus tuis memor esto finis, et in æternum non peccabis, scilicet, nunquam mortaliter, raro venialiter, ait Dionysius. Novissimorum enim intenta cogitatio retrahit a malo, et incitat ad omne bonum. Rursum, ut ait Rabanus : « Nemo potest perfecte peccatum devitare, et operibus justitiæ deservire, nisi qui sperat se quotidie de hoc mundo migrare. Qui enim considerat, qualis est in morte, semper fit timidus in operatione; unde in oculis suis quasi jam non vivit, nil quod transit appetit, cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit, et pene mortuum se considerat, quia moriturum minime ignorat : perfecta enim vita est mortis meditatio, quam dum justii sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt. »

Quocirca S. Augustinus in Speculo peccat. cap. i : « Consideratio, ait, hujus sententiæ, destructio est superbiæ, extinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis et jactantiæ, constructio disciplinæ, perfectio sanctimonie, preparatio sabatis æternæ. » Et cap. vi : « Ne pereas, vide in hoc speculo quid es, et quid eris; ejus conceptio tabes menstrua, origo lutum, putredo finis. » Et cap. vii : « Quid tunc proderit appetitus cibi exquisiti, potus delicatus, vestis cu-

riositas, calceamenti speciositas, carnis mollietates, ventris ingluvies, ciborum superfluitas, crapula et ebrietas, domorum constructio, præbendarum acquisitio, divitiarum aggregatio? » Hæc Augustinus vel quisquis est auctor; nam cap. iii citat versus Boetii, qui 170 annis fuit posterior S. Augustino.

Porro novissima sunt quatuor, mors, iudicium, ac gehenna, et cælestis gloria : utraque æterna, quibus qui non movetur, vel pecus est, vel lapis, non homo; chalybs est, silex est. Tradit hic Siracides regulam certam, quæ omnes actiones nostras regulet, ordinet, sanctificet, nimirum hæc : In singulis operibus illud eligit, illud agito, quod in hora mortis voles te elegisse et egisse : « In omni opere suo dicat quisque sibi ipsi : Si modo moriturus esses, faceres istud? » ait S. Bernardus in Speculo monach. In singulis operibus illud eligit, illud agito, quod in die iudicii, cum coram terribili tribunali Christi eorum rationem redditurus stabis, optabis te elegisse et egisse. Nihil agas, cujus in æternum te poeniteat, quod te egisse jugiter lugeas, et luas in gehenna. Stude quam optime et perfectissime singula peragere, ut de omni gaudeas, et maximis præmiis doneris in cælo.

Quocirca S. P. Ignatius, fundator Societatis nostræ, in Exercitiis spiritalibus, has in dubiis, sive de vitæ statu eligendo, sive de alia re qualibet resolvenda, securas dat praxes et modos eligendi : Illum statum elige, illam partem in dubio capesse, quam voles te elegisse in articulo mortis; quod optabis te elegisse et capessivisse in die iudicii, illud nunc elige et capesse. Tunc enim purum habebis iudicium, quod nunc ob passionem, commoda et concupiscentias sæpe obscuratur, imo excæcatur. Tunc sincere vereque iudicabis de agendis, vel non agendis, quando rebus omnibus valedices, cum jam ob respectus humanos honorum, deliciarum vel opum, sæpe distorte et perverse de iis iudices.

Hæc cogitatio et regula erit efficacior, si cogites novissima non procul abesse, sed brevi tibi adventura, rursum tibi incertum esse, quo die vel hora te occupatura sint. Quocirca omni die et hora te ad illa subeunda debere esse paratum et expeditum : « Quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet, » uti præmonuit Christus, Lucae xii, 40. Nam a morte bona pendet beata æternitas; a mala, infelix et miserrima. Cujus disparitatis symbola sunt muræna et scorpius : muræna enim in cauda animam et vitam gerit, potius quam in capite; scorpius vero in cauda gerit spiculum mortis. « Murænas, ait Plinius lib. XXII, cap. ii, animam in cauda habere certum est, » ideoque « ea ieta celerrime exanimari, at capitis ictu difficulter. » Sic Sancti animam habent in cauda, quia mentem defixam habent in cogitatione novissimorum, ut per bonam mortem transeant ad beatam immortalitatem. At dæmon quasi scorpius capite blanditur, cornibusque amplexa-

tur, sed ut detentum spiculo caudæ transfigat et perimat: sic enim suis initio peccati illecebras exhibet, sed eosdem in morte spiculo damnationis configit, morientesque secum rapit ad tartara. Quocirca S. Isidorus, in fine *Chronici*: « In omnibus, inquit, operibus memorare novissima tua. Quando enim unusquisque de sæculo migrat, tunc illi consummatio sæculi est. » Et Nazianzenus in *Sententiis*: « Mortem, inquit, velut præsentem semper tibi ob oculos pone; ita enim fiet, ut cum ipsi occurrendum erit, superior existas. »

Causam dat S. Bernardus serm. 2 in *Festo SS. Petri et Pauli*: « Fili, ait Sapiens, memorare novissima tua, et non peccabis; nimirum, quod hæc cogitatio maxime facit timoratum, timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Novissima autem nostra sunt, mors, iudicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid iudicio terribilius? nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? In omnibus operibus tuis memorare novissima tua: mortis horrorem, iudicii tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nulloatenus patiaris. Time, o homo, quod in morte separandus es a bonis omnibus hujus corporis, et tam dulce carnis et animæ vinculum amarissimo secundum divortio erit. Time, quod in terribili iudicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere; et eo examinante quem nihil latet, si quidem inventa fuerit in te iniquitas, alienandus ab universitate quietis et gloriæ, et segregandus a numero Beatorum. Time, quod in gehenna cruciatibus æternis et immensis exponendus es, in sorte diaboli et angelorum ejus, in igne æterno qui præparatus est eis. Dies novissimus quam sit expectatione terribilis, fili, memorare novissima tua. » Et paulo inferius: « Unde nobis ista dissimulatio est, fratres mei? unde hæc tam perniciose tepiditas? unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosipsos? Forsitan jam divites facti sumus; forsitan jam regnabimus. Nonne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident? Nonne exitum nostrum larvae illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam regionem, occursantia tibi cætervatim rueret æterna illa monstra videbis? Quis tibi in *causa* necessitatis occurret? quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? quis te solabitur? quis deducet? Filii mei, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus. » Eadem repetit sermone *De primordiis, mediis et novissimis*, ubi et addit: « Nam in morte non magnum, non parvum aliqui de bonis hujus mundi tecum delaturus es; in iudicio nec fallere, nec resistere possibile erit; in gehenna nulla penitus

consolatio, sed perpetuum vae, ululatus et fletus et stridor dentium. »

Hic ergo fuit sensus, hic virtutis stimulus Doctorum et Sanctorum omnium. Audi S. Augustinum, lib. II de *Genesi contra Manich.* cap. xxviii: Nihil, ait, sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio: tunc enim anteactæ vitæ coram justissimo iudice reddenda ratio erit. Et serm. 3 de *Innoc.*: « Si diem mortis suæ homines jugiter cogitare vellent, animarum suam ab omni cupiditate vel malitia cohiberent. » Quod ipsum magis vere de memoria iudicii, sempiternorumque suppliciorum affirmatur; sic enim ait Basilius in *Psalm.* xxxv: « Si quando te senseris ad aliquod provocari peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi iudicium, et hoc quasi freno animam cohibe. » Et S. Ambrosius ad *Virgin. lapsam*, cap. viii: « Si mente cernerent homines peccatores, quale iudicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate gravaretur. »

Quantam vero vim habeant inferorum supplicia ad animum ab omni scelere revocandum, luculenter docuit Prosper lib. III de *Vita contempt.* cap. xi: « Cogitare quale malum sit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissima Sanctorum omnium societate privari, fieri patriæ cælestis extorrem, mori vitæ beatæ, mori vivere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo et angelis ejus expelli, ubi sit mors secunda, damnatio, exsilium, vitæ supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis cæca caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. Hæc et similia multa cogitare nihil est aliud, quam vitis omnibus repudium dare, et omnia blandimenta carnalia refrenare. »

Audi S. Basilium ad *filium spirit.*: « Semper, ait, ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membrata tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum cœlestia promissa meditetur: omnia terrena, quæ possides, in cœlestes mansiones transfer. » Rursum S. Augustinus vel quisquis est auctor *Speculi peccatoris*, tom. IX, cap. iii: « Sapientis, ait, est non tam cajus et rei principium prospicere, quam finem exitumque providere. Felix esse comprobatur, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, ut postea supplicii effugiat periculum. » Et cap. v: « Utinam saperes et intelligeres, quæ mundi sunt; et provideres, quæ inferni sunt! profecto Deum timeres, superna appeteres, mundum contemneres, et infernum horreres. In illa nimis metuenda extrema hora tu quis amicorum, quis parentum tuorum veniet

eum gladiis et armis auxilium ferre? Non enim erit tunc qui te consoletur ex omnibus charis tuis Refugium tuum tantummodo apud Deum, » etc.

Post hominem vermis, post vermem fætor et horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Fecit hæc S. Marcella, de qua S. Hieronymus in ejus Epitaphio, epist. 16 ad *Principiam* ejus filiam: « Annis, inquit, plurimis sic suam transiegit ætatem, ut ante se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset, laudans illud Platonicum, qui Philosophiam meditationem mortis esse dixit; unde et noster Apostolus, *Corinth.* xv: Quotidie, inquit, morior propter vestram salutem. Et Dominus: Nisi quis tulerit crucem suam quotidie, et secutus fuerit me, non potest meus esse discipulus. Multoque ante per Prophetam Spiritus Sanctus: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Et post multas ætates illa sententia: Memento semper diem mortis, et nunquam peccabis. Disertissimique præceptum Satyrici:

Vive memor lethi, fugit hora; hoc quod loquor, inde est.

Sic ergo ætatem duxit et vixit, ut semper se crederet esse morituram; sic inluta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offerens se hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo. »

Idem in Epitaphio Nepotiani ad *Heliodorum*: « Platonis, inquit, sententia est, omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Laudant hoc Philosophi, et in cœlum usque ferunt; sed multo fortius Apostolus: Quotidie, inquit, morior per gloriam vestram; aliud est enim conari, aliud agere: aliud vivere moriturum, aliud mori victurum. Ille moriturus est ex gloria, iste moritur ad gloriam. Debemus igitur et nos animo præmeditari quod aliquando futuri sumus, et quod velimus nolimus, abesse longius non potest: nam si nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, et Mathusalem nobis tempora donarentur, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desiisset: etenim inter eum qui decem vixit annos, et eum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, et irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur. »

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, et dura rapit inclementia mortis. »

Subdit exemplum Xerxis: « Xerxes ille rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, eum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, et innumerabilem vidisset exercitum, fleve dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus es-

set. O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus! jam tibi ostenderem totius orbis ruinas: gentes gentibus et regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari: alios absorberi fluctibus, alios ad servitatem trahi: hic nuptias, ibi placentum: illos nasci, istos mori: alios affluere deliciis, alios mendicare: et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, et minus est omne quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, et quasi e cœlo descendentes paulisper nostra videamus. Sentisne, obsecro, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? quotidie morimur, quotidie commutamur; et tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur: quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum. Scribimus atque rescribimus: transeant maria epistolæ, et scindente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur. »

Magnus ille Simeon Stylites, non nisi unum sermonem scripto reliquit, cujus titulus est: *De semper mente complectendo suam discessum*, ubi graphice depingit animæ peccatricis morientis angustias, cum a dæmonibus cingitur ut eam in tartara abripiant; atque ex adverso animæ sanctæ lætitiâ, cum ab Angelis ducitur in paradysum. Exstat in *Biblioth. SS. Patrum*, in Appendice. Porro hic Simeon e columna quotidie bis docebat populum; tota autem ejus doctrina et concio erat de novissimis, « jubens in cœlum suspicere et evolare, ac e terra discedere, et regnum quod expectatur, visione apprehendere, et gehennæ minas timere, et terrena contemnere, et futura expectare, » ait Theodoretus in *Histor. Patrum*, cap. xxvi. Idipsum docebat re ipsa, puta statione et oratione continua, magis quam voce et concione; stabat enim jugiter suspiciens cœlum, Deumque deprecans quasi ad eum evadere gestiens.

S. Anselmus, epist. 5 ad *Burgundium et Richeram*, ejus conjugem: « Ponite, ait, quotidie ante oculos vestros finem vestrum: cogitate intentissime ejus erunt et quid vobis proderunt, quæ post vos remanebunt. Cogitate, quo ibitis, quid vobiscum portabitis, quid ibi quod præmissum a vobis sit, invenietis. Certe non portabitis vobiscum, nec invenietis ibi aliud, quam merita vestra, sive bona, sive mala. » Et mox: Hæc cogitate, hæc inter vos die ac nocte, in secreto et in publico tractate, hæc sint colloquia vestra invicem, domine mi, amica mea. Quid facimus, quid tardamus? prope est ultima dies nostra. Quomodo expendimus vitam nostram? quomodo satisfacimus Deo pro peccatis nostris? Præparemus nos quasi

videamus in proximo diem vocationis nostræ, et ita aptemus nos ut securi eamus ad iudicium; quia recepturi sumus sine dubio, prout gerimus in hac vitæ, sive bonum sive malum. Deus junxit nos in hac vita: faciamus ut simul nos jungat in æterna vita, et ibi videamus prolem nostram, quam sibi Deus jam assumpsit. Hæc sint studia vestra, hæc sollicitudo, hæc suspiria vestra.»

Vis exemplum magis patheticum et vivum? Accipe: S. Joannes Eleemosynarius, ut novissimorum semper recordaretur, sepulcrum sibi extrui, sed imperfectum relinqui curavit, ac monitorem statuit, qui diebus festis sibi coram omnibus diceret: « Monumentum tuum in hodiernum usque diem est imperfectum, domine: jube ergo ut id finem accipiat; incertum est enim qua fur ingrediatur, » nempe mors. Hæc cogitatio ad tantas eleemosynas eum exstimulavit. Ita Leontius in ejus Vita. Idem fecit Theodosius cœnobiarcha, cuius Vita exstat apud Surium die 11 januarii.

S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis, ut habet ejus Vita, dicitabat primam Philosophiæ definitionem esse meditationem mortis. Hanc ergo jugiter præmeditabatur, et ad eam se disponebat, ut impleret illud Sapientis: « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Ubi enim non est timor mortis, ibi est dissolutio vitæ; ubi vero dissolutio vitæ, ibi peccatorum abundantia; et ubi hæc, ibi perditio animæ. Timor enim semper emendat, tollit securitatem, parit sollicitudinem, superbiam dejicit, humilitatem nutrit, charitatem auget et virtutes multiplicat. Celebris est sententia S. Hieronymi: « Facile contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum. » Et illa: « Sive comedo, sive bibo, sive studeo, sive quid aliud ago, semper ultima illa tuba insonat auribus meis: Surgite, mortui, venite ad iudicium. »

Noster B. Franciscus de Borgia dicitabat boni

viri, præsertim Religiosi, exercitium esse quotidie per 24 horas se præparare ad mortem; quodque ipse tunc recte constitutus erat, quando quolibet die dicere poterat cum S. Paulo: « Quotidie morior. » Ita Ribadeneira in Vita ejus, lib. IV, cap. v. Denique S. Job, cap. XIV, 14: « Cunctis diebus, ait, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. »

Idem fuit sensus Gentilium. S. Maximus, *serm.* 36, narrat Musonium interrogatum quis optime extremum diem clauderet, respondisse: « Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit. » Plato, uti jam dixi, censuit, « omnem sapientum vitam esse meditationem mortis. »

Apud Ægyptios in solemnibus conviviis unusquispiam cadaver ligneum quam proxime ad verum effectum, convivis singulis ostendens, dicebat: « In hunc intuens, pota et oblectare, talis post mortem futurus; » licet quo fine hoc fecerint, sit ambiguum. Testis est Herodotus, lib. III.

Aristippus in maris tempestate expallescens, ea sedata, cum ei quidam insultaret: « Cur vos, Philosophi, qui prædicatis mortem non esse formidandam, expallescitis in discrimine, nos indocti non timemus? Quoniam, inquit Aristippus, non de pari anima tibi mihi que cura est ac metus. » Addit Gellius eum dixisse: Ego timeo animæ Aristippi, tu non times animæ nebulonis. » Ita Laertius lib. II, cap. VIII.

Secundus Philosophus, teste eodem Laertio, rogatus ab Adriano Imperatore quid esset mors, respondit: « Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. » Denique Seneca in *Proverbiis*: « Omnis dies, inquit, velut ultimus ordinandus est. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

rosequitur argumentum capituli præcedentis, quomodo scilicet quis prudenter se cum proximis gerere debeat, sed circa alia hominum genera. Rursum cap. præced. docuit quid proximo cuique præstari debeat: hic vero et sequenti, quid non præstari. Primo ergo docet non esse litigandum cum potente. *Diserte*, linguato, indocto; secundo, vers. 6, docet non esse spernendos peccatores penitentes, nec senes, nec inimicos mortuos; tertio, vers. 13, docet non esse reprehendendos peccatores obstinatos, contumeliosos, fortiores, iudices, iracundos, audaces; quarto, vers. 20, docet consilium non esse ineundum cum fatuis et extraneis. Summa, totum fere caput suadet pacem et tranquillitatem vitæ, ejusque obices et impedimenta indicat et dissuadet.

1. Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. 2. Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi. 3. Multos enim perdidit aurum ei argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. 4. Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna. 5. Non communices homini indocto,

ne male de progenie tua loquatur. 6. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes in correptione sumus. 7. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. 9. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbii eorum conversare: 10. ab ipsis enim discere sapientiam, et doctrinam intellectus, et servire magnatis sine querela. 11. Non te prætereant narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis. 12. Quoniam ab ipsis dices intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum. 13. Non incendas carbones peccatorum, arguens eos: et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. 14. Ne contra faciem stes contumeliosus, ne sedeas quasi insidiator ori tuo. 15. Noli fœnerari homini fortiori te: quod si fœneraveris, quasi perditum habe. 16. Non spondeas super virtutem tuam: quod si sponderis, quasi restituens cogita. 17. Non iudices contra iudicem: quoniam secundum quod justum est, iudicat. 18. Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries. 19. Cum iracundo non facies rixam, et cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis; et ubi non est adiutorium, elidet te. 20. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. 21. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. 22. Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi.

PRIMA PARS CAPITIS.

CUM QUIBUS NON SIT LITIGANDUM.

1. NON LITIGES CUM HOMINE POTENTE, NE FORTE INCIDAS IN MANUS ILLIUS. — Pro *litiges*, græce est *ἀσπάζομαι*, quod significat certare, tam verbis quam verberibus, puta tam litigare quam pugnare. Insipiens enim est, qui cum potentiore se contendit, sive lite forensi, sive pugnis vel armis, quia certum est periculum, quod illi succumbet, et in ejus laqueos incidet, ab eoque vincetur et proteretur. Unde Tigurina, puta Vatablus, vertit, *ne concertes cum homine potente*; Syrus vero, *ne converseris cum homine qui est asperior te, ne forte incidas in manus ejus*. Huc facit proverbium Latinum: « Hinnulus leonem, » supple provocat; imo, si sapit et sibi consultum velit, ne provocet ad litem vel duellum.

Paralleleæ Siracidi sunt aliarum gentium et sapientum sententiæ. Celebris est illa Alcibiadis: « Cum licet fugere, ne quære litem. » Et illa S. Gregorii Nazianzeni in *Distichis*: « Ut peritus gubernator tempestates, quoad fieri potest, devitat, sic sapiens animus gravia omnia et periculosa. » Lis autem omnis gravis est et periculosa, sed maxime ea quæ cum principe vel potente suscipitur. Nam, ut ait Seneca in *Proverbiis*: « Tempestas grandis est indignatio regis. » Arabum est adagium, *Centur.* 1, num. 2: « Ne jace sagittas in idolum ferreum, » id est, ne jace verba

tua in eum qui fortior te est; « neque obsiste adversarius illi qui tibi præpollet. » Sagittæ enim in idolum ferreum jactæ illud non transfigunt, sed resultantes jacentem potius lædunt: sic potentes imbecillorum conatibus non læduntur, sed eos potius in ipsos retorquent. Cato in *Distichis*.

Cede locum læsus fortunæ; cede potenti:
Lædere qui potuit, poterit quandoque juvare.

Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis*:

Non obtinere cuncta, nec semper, stude.
Bene vinci ames plus, improbe quam vincere
Athleta nam non vincitur, quisquis jacet
Humi; sed hostem sæpe sternens dejicit.

Elegans hac de re exstat apologus leonis vulpis, apud Gabriam, aliosque mythologos: « Amicitiam, inquit, quodam tempore junxere inter se leo, asinus, vulpes, atque ita communiter venatum exiere. Copiosa autem præda parta, jubet asinum leo illam dividere; qui similiter in tres æquales partes distribuens, sorte putabat decerni oportere, quid quisque deberet sumere. Ob hæc leo ira commotus in asinum irruit, et dilacerat, atque devorat miserum. Tum vulpem dividere jubet. At illa, in acervum congestis um-